

Oratio in theatro Collegii Regalis Medicorum Londinensis, ex Harveii instituto, habita die Octob. XVIII, an. M.DCC.XCVII / a Roberto Bourne.

Contributors

Bourne, Robert, 1761-1829.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Oxoniae : Typis academicis, impensis auctoris, 1797.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/axsc9kdf>

Provider

Royal College of Surgeons


License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



16.
O R A T I O

I N

T H E A T R O

COLLEGII REGALIS MEDICORUM

LONDINENSIS,

E X

HARVEII INSTITUTO,

HABITA

DIE OCTOB. XVIII, AN. M.DCC.XCVII,

A

ROBERTO BOURNE, M.D.

S O C I O.

OXONIÆ:

TYPIS ACADEMICIS, IMPENSIS AUCTORIS.

M.DCC.XCVII.

O R A T I O

IN

T H E A T R O

C O L L E G I I R E G A L I S M E D I C O R U M

L O N D I N E N S I S

EX

H A R V E I I I N S T I T U T O

HABITA

D I E O C T O B . X V I I I , A N . M . D C C . X C V I I

A

R O B E R T O B O U R N E , M . D .

S O C I O

O X O N I A :

T Y P I S A C A D E M I C I S I M P R E N S I S A U C T O R I S

M . D C C . X C V I I

SPECTATISSIMO VIRO

THOMÆ GISBORNE, M. D.

PRÆSIDI,

SOCIISQUE ORNATISSIMIS,

COLLEGII REGALIS MEDICORUM

LONDINENSIS,

HANC ORATIONEM,

IPSORUM HORTATU IN PUBLICUM EMISSAM,

EA, QUA PAR EST, OBSERVANTIA,

D. D.

ROBERTUS BOURNE.

Digitized by the Internet Archive
in 2016

<https://archive.org/details/b22393432>

ORATIO HARVEIANA.

NON sum nescius, Præses Dignissime, Sociique Ornatiſſimi, quam omnibus numeris abſolutus orator is eſſe debeat, qui in hac Harveiana Celebritate dicendi munus aggreditur. Quod ad me attinet, cum conſidero qualis ego ſim, quales vos ſitis; meum quam exiguum ſit ingenium, veſtrum quam limatum iudicium; quales inſuper quantumque facundia pollentes fuerint iſti, quos in hoc munere obeundo antecellentes habuerim; hæc cum conſidero, paulum abeſt quin me oratorii huiusce muneris ſuſcepti graviter pœniteat. Verum equidem impulit me officii ratio, ſcilicet exiſtimantem, æquum eſſe ut is, qui honore aliquo affectus fuerit, nullos labores, qui cum honore iſto conſortium quoddam habeant, detrectet; impulit animus in vos colendos propenſiſſimus, et vel dubiam occaſionem me vobis commendandi arripiendi avidus; impulit ſtudium quo veneror memoriam illorum, quorum laudes hodie ſunt celebrandæ, quibuſque, ſi quid in medendo valeam, id

magna ex parte acceptum referri debet. Et profecto ego si is essem, qui quid frequentissimo hoc virorum doctissimorum confessu, quid hujus instituti splendore, et HARVEII proposito dignum afferre me posse censerem, haud injucundus hodiernus dies mihi illuxisset. Adeo dulce est cum optimis ornatissimisque viris, vivis, versari; adeo gratum optimis ornatissimisque viris, vita defunctis, debitas laudes persolvere.

Oro autem permittatis, ut, priusquam ad eorum commemorationem accedam, quorum ingeniis et munificentia res nostræ in tantam amplitudinem creverint, mihi vobisque gratuler, quod has res etiamnum nostras appellare sit datum. Nam veterum quidem injuriarum memoriam oblivione deletam volo; scimus autem quam hostili animo, quam instructa acie, manus hominum infensa nuper in nos impetum fecerit. Quorum conatus quid aliud propositum habebant, nisi ut in hoc Collegio perturbarentur et everterentur omnia? Non agebatur de contumacia reprimenda, non de multa huic vel illi circulatori, audacter malas suas artes apud credulum vulgus exercenti et venditanti, imponenda; hæres, molestæ quamvis sint, levioris tamen sunt momenti: sed agebatur de statu et dignitate Collegii, atque, ut ita dicam, de aris et focis nostris. Conjuravere enim multi, (sive odio, sive invidia, sive, quod his temporibus nimis grassatur, novarum rerum studio, sive honestiore quavis causa permoti, non meum est dicere, sed qua-

licunque causa permoti conjuravere) et quodcunque opes, quodcunque industria, quodcunque solertia potuit, id omne in hoc contulere, ut labefactaretur auctoritas vestra; ut mores institutaque longa annorum serie confirmata in defuetudinem abirent; ut Academiae nostrae privilegiis suis spoliarentur; ut denique nihil esset, quod non loco dimoveretur suo. Horum consilia conatusque vos ea prudentia, eaque constantia, quibus oportuit, repressistis et fregistis; atque ita repressistis et fregistis, ut se ultra commovere contra nos vix posse videantur. Ideoque, ut dixi, mihi vobisque gratulandum est; gratulandum etiam Patriæ, cujus leges adhuc integræ sunt et valent. Maximæ insuper vobis agenda sunt gratiæ, quorum ductu hæc ardua negotia ad tam felicem exitum pervenerunt. Stat LINACRI nostri Domus, Patriæ legibus firmata, vestris consiliis munita, vestris virtutibus ornata. Stat, stetque, obsecro! diuturna.

Quantus autem, ut in hodierna laudatione inde ordiar, unde omnia nostra commoda originem sumunt, quantus is, cujus modo mentionem feci, ROMULUS noster, LINACRUS! Cui sane iniquior essem, si sua in nos solos commemorarem beneficia. Non enim ille Medicinæ tantum promovendæ, sed omni literarum generi, natus esse videbatur. Nostis equidem quomodo, ab Imperatoris AUGUSTI temporibus, inclinare labique

fenſim literæ inceperint; quomodo, TRAJANO rerum potente, iterum ſe erexerint; quomodo, haud ita multo poſt, funditus corruerint, omniſque doctrina, omnes artes et ſcientiæ, ſuperſtitionis et ignorantiae tenebris, circumfuſæ jacuerint; noſtis barbaram vocem OMARI*, Mahummedani Chaliphæ, Bibliothecæ Alexandrinæ parere recuſantis, quantaque exinde calamitate affectæ fuerint literæ. Noſtis denique quomodo, capta a Turcis Conſtantinopoli, tandem aliquando, poſt longam noctem, lux affulgere literarum reliquiis in Italia inceperit, artes ſcientiæque coli, hominesque barbariem exuere. Sub hoc tempus natus eſt LINACRUS, qui, pueritia doctrinæ elementis impenſa, cum ferret ætas, ad Academiam Oxoniensem migravit, ubi ſtudiis, quæ tunc in Academia viguerunt, inclaruit. Nondum vero in Britannia literæ ſqualorem excuſſerant; in Græcis literis plane hoſpites erant noſtri. Britanniae igitur li-

* Capta, anno DCXLII, a Saracenis Alexandria, JOANNES PHILOPONUS, Philoſophus, cum animadverteret Bibliothecam in urbe iſta celeberrimam a victoribus nihili haberi, hujus partem a Duce AMRO ſibi expetiit; ille vero precibus ejus annuere minime auſus eſt, veniam tamen OMARI, Chaliphæ ſecundi, quærebat; qui his libris parcendum eſſe negabat, ſi enim in illis contineretur quod cum Alcorano conveniret, in Alcorano eſſe quod ſufficeret abſque illis; ſi contineretur quod Alcorano repugnaret, neutiquam illis opus eſſe. Juſſit ergo AMRUS diſpergi illos per balnea Alexandriae atque his calefaciendis comburi: et ita ſpatio ſemestri conſumpti ſunt.

Vide ABULPHARAGII Hiſtor. Dynaſt. Latine a Pocockio verſam; Oxon. 1663. p. 114.

mitibus præstans LINACRI ingenium coerceri nequivit, sed Italiam se contulit, celeberrimum, solumque in isto ævo, bonarum artium disciplinarumque domicilium. Quanta illic ingenii celebritate inter doctissimos viros versatus fuerit, ex hoc satis liquet, quod dignus haberetur, quem in intimam suam familiaritatem illustrissimus Princeps, LAURENTIUS MEDICÆUS, reciperet. Italia redux omnes artes ac disciplinas, quibus tum Italia eminebat, sinu suo deportavit, quas postea in Patriam effundendo effecit, ut, posthabitis istius ævi scholasticis ineptiis, sui tandem ad Græcarum literarum studium et ad antiquorum imitationem, in quas ipse res felicissime incubuerat, animos adverterent. Atque hæc Oxoniæ dum moliebatur, adeo fama ejus innotuit, ut ab HENRICO VII^{mo}, Rege, in aulam accersitus esset, studiisque ARTHURI, Walliæ Principis, præpositus. Ad quod quidem munus fungendum quod maxime idoneus esset, quod, doctissimus licet, ad elementa tamen doctrinæ se submittere non recusaret, Grammaticæ rudimenta, quæ postea in lucem edidit, abunde testantur.

Annon igitur jure nobis medicis superbiam licet sumere, quod talis in humanioribus literis colendis et promovendis, quod inter eos, qui ingenua studia in hanc insulam importaverint, princeps, esset Medicus? In ipsa porro Medicina promovenda LINACRUM nos qualem esse gloriamur! Nimirum in hac arte, non minus quam in re literaria, primas tenuit; Medicinam,

non minus quam Græcas Latinasque literas, egregie fovit. In aulam ab HENRICO VII^{mo} accersitum, studiisque ARTHURI, Walliæ Principis, præpositum esse LINACRUM, modo dixi; non autem ea solum de causa accersitus est, ut animum Principis optimis studiis informaret, verum etiam ut corporis ejus sanitati prospiceret; hoc etiam medico utebantur et Rex ipse, ipsiusque in Regno successor, HENRICUS VIII^{us}. Pluribus non opus esse duco, ut ostendam summum in arte sua habitum esse LINACRUM. Ad ea propero, quæ in artis commodum et incrementum fecerit. Nascente eo, Medicina, ut cæteræ artes, parum honeste colebatur, barbariemque temporum istorum redolebat. Græcorum medicorum scripta vel ignota manebant, vel neglecta. Vidit hæc LINACRUS, indolemque eximiam qua pollebat, Græcarum Latinarumque literarum scientiam qua excellebat, ad jacentem artem erigendam direxit. HIPPOCRATEM et GALENUM, duces in Medicina optimos (de istis temporibus loquor) sed paucissimis notos, ipse omni studio evolvendo illustre se exemplum præstitit; et, quo aliis ad hos auctores accessus patentior fieret, plures GALENI libros, mira elegantia in Latinum sermonem versos, utque de illis aiebat ERASMUS, “ melius Latine loquentes, quam antea “ Græce loquebantur,” in publicum emisit. Quo insuper in Academiis auspiciatius ars nostra coleretur, ad ipsosque artis fontes et Græcarum literarum cognitio-

nem Medicinæ studiosi accederent, Prælectiones instituit Oxoniæ duas, Cantabrigiæ unam, in quibus obeundis ad Prælectorum officium pertinere voluit, ut HIPPOCRATEM et GALENUM elucidarent. Magna sunt hæc ; majora restant. Sæculo namque isto Medicina ab indignis exercebatur ; a monachis scilicet et circulatoribus, qui nullis disciplinis imbuti, nullo magistro usi, temere, lucri faciendi causa, in hanc artem involarant. Inde in summum sæpe vitæ discrimen adducti, qui leviter ægrotabant, nec minus timendum fuit a remedio, quam a morbo. Hæc cum animadverteret LINACRUS, fortunam civium suorum ploravit ; ploravit artem nobilem, quæ, ad hominum dolores miseriaque mitigandos nata, per inscitiam et improbitatem ad acuendos potius erat conversa. Quibus malis ut aliquando obviam iret, omnem gratiam, qua plurima apud HENRICUM VIII^{um} et WOLSÆUM valebat, ad Collegium hoc fundandum contulit : cui Collegio in indoctos et circutores inquirendi, eosque de artis exercitatione depellendi, permissa est potestas. Quippe existimavit (neque ea res falsum illum habuit) sic demum effectum iri, ut nemini impune liceret in medendi provinciam irrumperre, ut hæc provincia probis peritisque viris solis demandaretur, utque arti dignitas et auctoritas redirent suæ. Quod ejus factum vix satis efferre possumus, qui, quo Principum favore alii ad honores, alii ad divitias acquirendas, alii ad necessariorum commoda promovenda

utuntur, eo omni ad artem suam augendam et honestandam est usus. Neque hic substitit beneficus LINACRI animus : moriens enim novo huic fodalitio domum suam, in quam convenire consueverat, testamento legavit. Nos igitur, LINACRE, arctissime tibi devinxisti. Dumque, una cum doctrinæ amantibus, ubicunque fuerint, omnibus, literæ quantum tibi debeant agnoscimus, ob Medicinam instauratam et honestatam studio quodam nostro memoriam tui prosequemur. Te Latinarum literarum doctissimum, Te Græcarum studii in hac insula auctorem et patronum, Te Grammaticum, suspiciemus; Te Medicum, Te ROMULUM nostrum, venerabimur.

Jamque videor mihi amplum dicendi ingressus esse campum, quot enim omni præconio dignos Collegium hoc Linacrinum in suum numerum ascribit ! Quorum primum fas sit commemorare illum, qui LINACRUM monumento donavit, et in quem LINACRUS suum literarum amorem, suam erga Collegium benevolentiam videtur transfudisse, CAIUM. Mirum equidem in modum utriusque et ingenium, et disciplina, et vitæ ratio, consentiunt. Pueritiam suam optimis, quibus potuit, studiis aluit LINACRUS ? Suam aluit et CAIUS. Exacta pueritia, quo adolescentiam severioribus firmaret disciplinis, Oxoniam se contulit LINACRUS ? Exacta pueritia, eodem plane consilio, Cantabrigiam se contulit CAIUS. Studiorum cursu in Academia peracto, gra-

dibusque susceptis, Italas artes ac disciplinas percipiendi causa, peregre abiit LINACRUS? Eadem emensus opera, idemque sibi propositum habens, peregre abiit CAIUS. In Italia porro eodem doctorum virorum favore, quo LINACRUS, CAIUS exceptus est; eodem modo studiis indefessum se præbuit; eademque Græcæ Latinæque linguæ scientia excelluit. Peregre rediens, Principum nostrorum saluti, qui prospiceret, designatus est LINACRUS? Designatus est etiam CAIUS; eoque Medico EDVARDUS VI^{us}, Rex, MARIAQUE et ELIZABETHA, Reginae, sunt usi. Principis sui favore obtinuit LINACRUS, ut Collegium Medicorum Londinense fundaret? Princeps etiam sua, ut finem comparationis hujus faciam, CAIO, Aulam GONVILLI Cantabrigiensem augendi, et Medicinæ studiosis manum porrigendi cupido, morigeram se præbuit, permisitque ut Fundatoris titulo, una cum GONVILLO, gauderet CAIUS. Nec vero obstitit CAII erga Cantabrigienses suos beneficentia, quo minus hujusce Collegii et commodis et dignitati confunderet et inserviret. Cenforis, Regeſtarii, Thesaurarii, Præſidis munere, summa cum fide et laude, functus est: qua fide Regeſtarii munere, Annales Collegii nostri, Latine, magno styli nitore, mira accuratione, propriaque manu scripti, satis perhibent; qua Præſidis, exinde manifestum est, quod, id gerens munus, nefarios conatus eorum, qui Collegii privilegia labefactare tentabant, fortiter et prospere coercuit, etiam obſtante po-

tentium quorundam gratia. Quod vero pulvinari, cæterisque dignitatis et auctoritatis insignibus, quibus res nostræ ampliores augustioresque fiunt, Præses honoretur, id porro CAII est: adeo ut si LINACRUM cum ROMULO comparemus, nonne quæ de TARQUINIO PRISCO ait FLORUS, “ Jam vero TARQUINII ornamenta et insignia quantam addiderunt ex ipso habitu dignitatem? ” in CAIUM optime quadrant?

Haftenus quæ dixerim CAIUM exhibent LINACRI vestigiis insistentem, insistentem vero non ut imitatore, sed ut æmulum. Id autem CAIO fuit proprium, quod incultum antea, apud Britannos, Anatomiae studium, quo non aliud ad Medicinam recte faciendam plus confert, et ipse diligentissime coluit, aliisque colendum commendavit; usque adeo, ut Anatomiae conditor, apud nostrates, audiat.

Anatomiae studium, a CAIO in Patriam suam ab Italia invectum, ne elanguesceret cavit vir egregiae indolis, ELIZABETHÆ, Reginae, Medicus, CALDWALLUS. De quo quidem tantam opinionem Collegium Medicorum conceperat, ut, quem honorem nemini vel ante vel post concessum legimus, uno eodemque die examinatus, in sociorum ordinem cooptatus, Cenforque creatus esset. Hic contra, quo grati animi testimonium, amoremque suum ostenderet, JOANNE, Barone LUMLEIO, in impensæ famæque consortium adscito, Prælectionem chirur-

gicam in Collegio instituit, eamque honesto stipendio ditavit.

Ex qua institutione, quanta nobis, quanta Britanniae gloria affulserit, me festinantem dicere paulisper GULSTONUS detinet; dum memoro, nempe, Prælectiones pathologicas ab illo fundatas, quas tamen anatomica cadaverum sectione, si fieri posset, illustrari voluit. Atque equidem GULSTONI beneficentiæ debemus, quod præclari in re medica viri a cogitando ad scribendum se appulerint, et artem exercitationibus suis locupletarint.

Jam vero, ecce e CAII Collegio progressum, et Caldwellianam Cathedram tenentem, ecce Sanguinis Circuitus Inventorem, immortalem HARVEIUM! Cujus nescio an magis admirer ingenium, quo omnes supereminuit, an liberalitatem, quæ in illo summa fuit: quorum utriusque fructum uberrimum nos cepimus. Nam HARVEIUS, qui, exactis Cantabrigiæ studiis, annos aliquot in studio Medicinæ et Anatomiae apud exteras gentes, Italiam præcipue, posuerat, in patriam redux Collegii Medicorum Candidatus primum, deinde Socius electus est; postremo munus huic datum, ut Anatomiam et Chirurgiam, ex instituto LUMLEII atque CALDWALLI, exponeret. In quo munere fungendo HARVEIUS Circuitum Sanguinis detexit. Scilicet, Auditores humanissimi, quod in æternum Sodalitii nostri ho-

norem cessurum est, HARVEIUS, hujus Collegii Socius, munere a Collegio sibi demandato fungens, suos Collegas sibi testes adhibens, intra ipsos Collegii parietes, nobilissimum illud suum inventum eruit et exposuit : nec exposuit solum, verum etiam firmissimis argumentis demonstravit et stabilivit. Ipse interea ea fuit modestia, a fama aucupanda tam alienus, ut hoc inventum, a Collegis desideratum et efflagitatum, vix tandem, mora novem annorum interposita, *Exercitationem anatomicam de Cordis et Sanguinis Motu* typis excudendam committendo, publici juris faceret. Quantam invidiæ procellam hoc inventum concitaverit, his ei fidem non habentibus, his honorem sibi præripere vel in alios transferre conantibus, mitto dicere : virtutem incolumem odisse mortalium est. Vicit tamen veritas : HARVEIUS enim sententiam suam non opinionum commentis, sed experimentis, fidis in re dubia testibus, adeo muniverat ; adeo operam et oleum perdiderunt, qui aliquem alium hujus sententiæ auctorem esse probare sunt conati, ut quotidie omnium gentium medicos et philosophos in sua transeuntes castra ille noster videret. Imo etiam, rara felicitas ! invidiæ HARVEIUS supervixit ; illique maturis honoribus, quos præsentis suum detulit sæculum, frui contigit. Tempus me deficeret, si quæ comoda ab invento Sanguinis Circuitu Medicina reportaverit, enumerare aggrederer ; quæ ideo libentius præmitto, quoniam vestrum nullus est, qui non statim

hæc et sentiat et agnoscat. Atque equidem quod Sanguinis Circuitum detexerit, id certe HARVEIO palmarium est. Sunt autem alia in quibus fauste elaboravit; ut mihi assentientem unumquemque habebo, qui illius *Exercitationes de Generatione Animalium*, clarissimi ENTII rogatu in lucem editas, evolverit; aureum fane opus, de quo autem rarior sermo est, quoniam quandoque in HARVEII mentionem incidimus, statim mentes cogitationesque nostras Sanguinis occupat Circuitus. Atque utinam cæteris illius scriptis civilis furor pepercisset! Credibile enim est HARVEIUM, cui natura adeo egregie indulgit, ut velum operibus suis obductum aliquantisper quasi removisse videatur, quo hic illa accuratius inspiceret; credibile, inquam, est, talem nihil scriptis mandavisse, quod non omni dignum foret memoria.

Hæc de HARVEII ingenio; quod si non insigne in illo fuisset, at nomen in perpetuum nobis venerandum liberalitate sua tradidisset. Vivus, et cum Collegis versatus, in usus eorum Cœnaculum et Bibliothecam, in Collegii horto, construxit. Paucis post annis, munificentia plane inaudita, Sociis convocatis et convivio splendido exceptis, sponte se patrimonio divinus fenex exuit, Collegio paternum fundum tabulis consignatis transcribens. Quod suum Censoribus menstruum paratur convivium, HARVEII est; quod hoc omnibus sociis annuum, HARVEII est; HARVEII denique est, quod hodierna in laudem eorum, qui huic Collegio benefece-

rint, habeatur Oratio. Quam quidem Orationem non ideo, HARVEI, habendam instituisti, ut tuis laudibus hi parietes resonarent, sed ut clarissimorum virorum imagines nobis ad imitandum proponerentur. Neque enim Tu, cui vivo statuæ sunt positæ; Tu, qui inter mortales agens immortalis* salutatus es, de tua fama sollicitus esse potuisti: prævideres necesse erat illam non tuam esse famam, quæ hoc in loco annua Oratione celebraretur; illam, illam potius esse tuam, quæ ubique gentium diffunderetur; quam nemo, nisi qui idem et omnem humanitatem, nesciret; quæ, quamdiu humanus Sanguis gyro suo circumferetur, virebit et crescet.

Coævus HARVEIO, Harveianæque æmulus munificentiae, extitit HAMÆUS. Hic, cum, flagrante bello civili,

* Die Decembris XXII anni MDCLII, fociis Collegii Medicorum Londinensis convocatis placuit, ut HARVEIO in ædibus Collegii statua poneretur, atque ut ei, quæ sequuntur, subscriberentur :

GVILIELMO HARVEIO
VIRO MONVMENTIS SVIS IMMORTALI
HOC INSVPER COLLEGIVM MEDICORVM LONDINENSE
POSVIT
QVI ENIM SANGVINI MOTVM
VT ET
ANIMALIBVS ORTVM DEDIT MERVIT ESSE
STATOR PERPETVVS.

Vide vitam HARVEII operibus ejus a Collegio Medicorum Londinensi editis præfixam.

summa rerum in seditionum jus atque ditionem concessisset, omniaque armis et tumultu miscerentur, Collegium hoc, iniquitate temporum sub hasta positum, non sibi sed Sociis magno impendio redemit. Postea, horribili isto incendio, quod longe lateque celeberrimam hanc urbem vastavit, ædibus nostris ad cinerem reductis, HAMÆUS magnam pecuniæ vim in novas construendas et ipse erogavit, aliisque ut erogarent auctor suusque fuit. Collegii Coenaculum instruxit HAMÆUS. Postremo, ne quem vivum Patronum tam munificum senserat Collegium, mortuum desideraret, supremis tabulis laudatissimorum duorum prædiorum nos hæredes scripsit. Atque hæc HAMÆI munificentiae specimina eo nobis acceptiora esse debent, quoniam vir fuit eruditione præclarus, moribus spectatissimus; is denique de quo bene meruisse Collegio laudi est.

Baronis LUMLEII mentionem supra feci. Ordo temporis nunc me monet, ut vestræ memoriæ commendetur vir alter honoribus ac titulis insignis, nobilissimus DURNOVARIÆ Marchio. Hic, non genere illustrior quam ingenio, et studiis unice deditus, Medicinam inter alias artes feliciter coluit; cui arti atque hujus artis celeberrimo domicilio, Collegio nostro, ita favit, ut in fociorum ordinem eligi non dedignaretur, utque magna librorum copia Bibliothecam nostram ditaret.

Ad numerum eorum, quorum munificentiam hodie celebramus, ascribendus est CROUNIUS, qui Prælectionem in hoc Collegio ea mente instituit, ut functiones cerebri, nervorum atque muscutorum, obscuriores explicarentur ; ipse harum rerum curiosus indagator.

Neque infalutatus prætereundus est HALÆUS, quo, quamvis primo intuitu aliquatenus aspero, noto tamen non quemquam benigniorem, amiciorem, doctiorem aut meliorem, accepimus. Atque hic quingentas nostræ monetæ libras Collegio, in Bibliothecæ usum, legavit.

Quos supra commemoravi, hi præcipui sunt, qui et ingenio emicuerunt, et Collegii rebus amplificandis apprime studuerunt. Supereft ingens numerus eorum, qui, si non munificentia in Collegium, at ingenii excellentia, hodierno die gratam commemorationem sibi vindicant. Quos tamen omnes ne percurrere aggrediar, clepsydra me admonet. Æquis igitur mentibus accipite, si, in selectione facienda, hunc vel alterum, laude licet dignissimum, prætermisero.

Ex his vero WILLISIUM minime prætermittendum esse censeo, virum in arte sua celeberrimum. Hic fundamenta artis Oxoniæ jecit, quem, ad Medicinæ studium se accingentem, civiles tumultus in arma abripuere. Posthabita igitur toga, una cum iis, qui a regiis partibus stabant, per aliquot annos militabat. Interea, sub-

fecivis horis, Medicinæ dedit operam ; tandemque, cum, fractis undique et dispersis regiis copiis, imperium ad alios delatum esset, ad faciendam se contulit. In quod opus tam feliciter incubuit, ut cito omnium in ore esset, medicusque summus haberetur. Atque hæc Oxoniæ ; mox vero, ut eximia virtus amplo theatro gaudet, relictis Musarum sedibus, Londinum adiit, ubi artem non minus feliciter exercendo, ad famam et opes viam sibi facilem invenit. Animum ejus in re anatomica et medicinali indefessum opera non obscure demonstrant ; me autem hæc dicentem non perinde accipietis, ac si omnia, quæ scripserit WILLISIUS, magni faciam. Nam cum erat ingenio subtili et acuto, huic, uti temporum mos ferebat, in theoriis struendis nimium indulgit, experimentorum fide non satis in confirmationem earum, quas struxit, adhibita. Duo autem sunt, ob quæ WILLISIUM laude dignissimum judico ; quorum unum est, quod vasorum lymphaticorum, quæ vasa circa id tempus innotescere inceperant, originem et usum, præter cæteros istius ævi medicos, intellexisse et descripsisse videatur ; alterum, quod doctrinæ pathologicæ tunc invalescenti, quæque tota in illo fuit ut morbos omnes vitiatis humoribus tribueret, obviam iret, nervis vim, qua pollent, motus morbosos in corpore excitandi assignando. Quid memorem Regi fidelitatem, in pauperes liberalitatem, Christianæ Religionis cultum assiduum ?

Quæ omnia, quod in WILLISIO summa fuerint, vestrum quis ignorat?

At si in ingenio suo indulgendo nimius WILLISIUS, non item SYDENHAMUS. Qui, si quis alius, Ciceronianum illud, “Opinionum commenta delet dies, Naturæ judicia confirmat,” comprobavit. Illorum etenim medicorum, qui, Naturæ iter deferentes, in avia theoriarum deflexerint, quam multi sunt, qui, laborem magnum, ingenium haud mediocre, ad Medicinæ studium licet attulerint, vix, ac ne vix quidem, nomina sua posteritati commendant? Cum interea SYDENHAMUS, qui ne hulum quidem, nisi Natura duce, progredi voluit, immortalitatem sibi acquisivit. Nemo enim est, qui vel prima labra Medicinæ admoverit, non dico apud nostrates solos, verum etiam apud externos, quin SYDENHAMUM, alterum HIPPOCRATEM, agnoscat et veneretur. Ægris affidens Anglus noster, eodem prorsus modo ac olim Cous, Natura quid patiebatur vel moliebatur sedulo observabat. Inde evenit, ut solus omnium accuratam divini senis, in historiis morborum tradendis, diligentiam æmularetur; inde ut, spretis vanis commentis, nullique se addicens magistro, curandi methodum ex ipsa Natura depromeret. Variolarum Historiam, a SYDENHAMO conscriptam, quis legens ægrotis fœdo morbo conflictantibus non videtur adesse? Quis non summi viri sagaci-

tatem, regimen frigidum regimini calidiori, quod in hoc morbo tunc temporis invaluit, anteponentem miratur? Quis non animi constantiam, qua se opinionibus omnium fere medicorum, diverse de hoc morbo sentientium, opposuit? Quis non præsciam denique fiduciam, qua, præjudicio et invidia quamvis reclamantibus, de sua methodo variolis medendi hæc tamen verba profert, “obtinebit demum me vita functo”? Quam tandem hoc sæculo obtinentem, magno cum civium nostrorum emolumento, videmus.

Venio nunc ad virum, splendida cujus munificentiae monumenta mihi quotidie in conspectu sunt, RADCLIVIVM, singulari fortuna medicum. Quod enim alii, neque hi mediocris ingenii medici, studio indefesso, moribus compositis, humanitate eximia vix assequuntur, nempe ut in arte sua principes audiant, id illi, nulla quasi data opera, excellentis cujusdam sagacitatis beneficio, obtigisse accepimus. Non quod RADCLIVIVM literarum ignorantiae infimulem; hoc autem in illo peculiare fuit, quod, cum multi essent istius ætatis medici, qui illum doctrina et diligentia æquarunt, nonnulli qui superarunt, nemo tamen sit inventus, quem non, artis famam si spectes, longo post se intervallo reliquit RADCLIVIVS. Scilicet natura illius animum ad Medicinam faciendam videtur formavisse: in morbis distinguendis omnium, de quibus audivimus, acutissimus fuit, in

eventu præfagiendo providentissimus, in medicamentis præscribendis simplex et solers. Animo ita constituto acceptum referendum est, quod ad illum omnes omnium ordinum ægroti confugerent, et quod immensas opes paucorum annorum spatium congereret. Meminerint autem medici, de istis loquor, qui, inertiae suæ prætextum quærentes, RADCLIVIO exemplo usi, magistros et disciplinas nihil ad Medicinam exercendam conferre afferunt; meminerint isti, RADCLIVIO similem vix anno centesimo nasci; meminerint, ad illius famam opeſque consequendas non sat esse ut illius supercilium sibi assumant. Atqui vero, quanti ipse RADCLIVIUS literas fecerit, testor Bibliothecam nomine ejus honestatam, quam, regia prope munificentia extructam, Oxonienses nos possidemus; quanti duxerit ut disciplinis medici penitus instituerentur, testor liberalissimum proventum, quem usui duorum, de Academia Oxoniensi, Medicinæ studioſorum, peregre, externos quoque Magistros audien- di causa, proficiscentium, perpetuo inservire voluit.

Et profecto, quantum Medicinam literæ humaniores et ornant et promovent, exemplum est, instar omnium, is, quem proximum in memoriam vestram revocabo, FREINDUS, qui Græcis Latinisque literis, qui scientia omni instructissimus fuit, cui etiam Musæ arrisere. Neque vero in his studiis nimis diu immorari sibi concessit, neque ut in eorum aliquo consummatus evaderet, ela-

boravit; sed ut ad eam artem, cui ab ineunte ætate destinatus fuerat, discendam et exercendam paratior esset, his se adjumentis instruxit. Non mirum est igitur quod, cum ad Medicinam animum cogitationesque suas transferret, quam citissime, quod in arte præstantissimum fuit, arriperet. Nam præviæ, quas supra memoravi, disciplinæ id quodammodo effectum reddiderunt, ut in editiore loco collocatus FREINDUS subjectos Medicinæ campos, qua patentes, qua circumscriptos, qua feraces, qua steriles, qua spinas peragranti opposcentes, sine labore, et quasi oculorum conjectu, collustraret. Jam autem, cum in Medicinæ incrementum, quæ vel animo conceperat, vel lectione collegerat, vel usu didicerat, scriptis mandaret, rerum ordo, verborum pondus, styli nitor, eloquentia, quanta in illo fuerunt! Equidem lectorem his delinitum nunquam non dimittit. Nam ut cibi gustui dulciores sunt, ubi nitide, splendide, ordinate, instruitur convivium; sic librum apta rerum dispositio, stylique elegantia, et splendor quidam, acceptiorem faciunt. Talibus ornatum animi dotibus videmus FREINDUM; ad palatium accersitum videmus, CAROLINÆQUE, Reginae, Medicum constitutum, Regis porro Regiæque Proles valetudinem tuentem: videmus denique, tantum, in palatio, ejus esse desiderium, ut, cum de morte ejus immatura tristis adferretur nuncius, Regina a lachrymis non temperaret. Quid memorem quod in Regni Senatu, nam Senator fuit FREINDUS, summam ejus in di-

cendo vim, atque elegantiam, omnes admirati sint? Quid quod, in Senatu, id omne, quod in dicendo potuit, ad hujus Collegii jura et privilegia tuenda et confirmanda attulerit? Quid quod hoc Collegium, quod Academias nostras, amore summo, honore summo, semper habuerit?

Coævus FREINDO, eique amicitia conjunctus, fuit MEADIUS; qui vero nostris temporibus videtur esse propior, quoniam non nisi post longum vitæ cursum peractum decessit. Imo, sint licet inter eos qui adfunt, quos illius comitatis, hospitalitatis, magnificentiae, testes adhibere possem. Nam doctis et ingenuorum studiorum cultoribus domus ejus semper patuit; domus ista, in quam magnam optimorum librorum copiam, una cum pretiosissimis antiquitatis et liberalium artium monumentis, eruditus possessor collegerat. Quæ quidem ea mente videtur collegisse, ut, in luce posita, in publicum doctrinae artiumque usum et incrementum redundarent. Hinc ille, de quo omnes audivistis, cujus autem vestrum forsan nonnulli pars fuistis, doctorum undique ad Meadianas aedes, tanquam ad veterum Philosophorum scholas, concursus. Ipse interea, humanitate et liberalitate illustris, quantum per negotia potuit, affuit omnibus hortator, consiliarius, patronus. Talem se præbendo effecit MEADIUS, ut alter MÆCENAS audiret; ut de munificentia ejus erga literatos, qualis de privati nun-

quam ullius, fermo; ut nostri, ut peregrini, uno ore, famam ejus celebrarent; ut ipsi, denique, Reges literarium cum illo commercium inire gestirent. Unde autem, dicat aliquis, non de vestrum numero, Auditores humanissimi, sed indoctus aliquis, unde illi ad hæc egregia suffecerunt opes? Non ex hæreditate, non e testamentis propinquorum, sed ex arte, quam exercuit; arte, non istius generis, quod opima spolia et infinitas opes a victis direptisque hostibus, et ab hominum miseriis reportat, sed arte in hominum subsidium et miseriarum levamen nata, Medicina. Hanc ille artem exercendo, proventum liberalitati ejus idoneum MEADIUS comparavit. Atque cum hoc dixero, opinio hominum de illius in medendo peritia, qualis fuerit, satis declaratur; nam nisi summa fuisset, illi ad liberalitatem prope regiam sufficere haudquaquam potuissent facultates. Revera summa fuit, nec injuria. Quod inter primos esset MEADIUS, qui Variolarum insitioni patrocinati sunt, referendo; quæ excogitavit quo melius abdominis Paracentesis cederet, quæ alia ad nostræ artis incrementum facientia, enumerando, non est cur vos detineam, quorum uniuscujusque menti hæc statim sese offerent. Atque equidem illi inerant omnia, et quæ bonum medicum constituunt, et quæ ad hominum favorem captandum sunt accommodata. Ingenium natura optimum, varia doctrina expolitum, industriam insignem, ingentem discendi cupidinem, curiosam rerum indaga-

tionem, hæc ille adjumenta ad Medicinæ studium attulit, horum ope in Medicinæ cognitione summus evasit. Quod autem summus esset, alios non diu latere permittit. Nam in luce, et oculis civium, versari, quæque ipse sciret, alios quoque scire, studuit. Latinarum porro litterarum cognitione adeo inclaruit, ut cum opiniones cogitationesque suas, Latino fermone donatas, in publicum emitteret, illas styli nitor et venustas medicis, et literatis omnibus, valde commendarunt. His si adjiciamus quod comis esset MEADIVS, splendidus, magnificus, non profecto id fortuito evenisse censebimus, quod in palatio, in urbe, ubique gentis nostræ, ubique exterarum gentium, medicus summus haberetur : quod paucissimis medicis contigerit, tam longe lateque famam suam pertingentem sensisse.

A MEADII temporibus, usque ad anni ultimi initium, complures annos effluxisse scimus. In quo intervallo, multos, ex suorum numero, præstantes viros Collegium hoc florentes vidit, amissos luxit : quos quidem omnes lubens recenserem, sed vereor me jam dicendo aures vestras delassasse. Atqui non possum quin horum uni, vobis fere omnibus familiari, cujus et ego consuetudine usus sum, AUSTINO, memoris animi testimonium afferam. Conspiciebatis eum ingenio acutum, moribus suavem, studio indefessum ; conspiebatis, iter quod ad famam ducit arduum, non, ut plerisque, ægre scanden-

tem, sed quasi cursu conficientem ; conspiciebatis denique de tanta spe, subito, morte nimis acerba, dejectum. Quam vellem ut nunc inter vivos versaretur, meque, nihil licet auribus ejus dignum proferentem, hodie benignus audiret, quocum olim benignus sermones et consilia conferre assuevit !

Quam vellem quoque ut annus ultimus omnino Collegis nostris pepercisset ! Verum enimvero non ita res est. Volvente anno, CADOGANUM mors oppressit. Pectore erat hic aperto, virili, omnia sine fuco et præstigiis agens. Imaginem viri in tractatu, quem de Podagra in lucem edidit, depictam licet aspicere. In quo, nullius vestigiis inhærens, sed de seipso omnia depromens, sensus suos audacter in medium profert, de aliorum opinione securus, sibi cum animi sinceri esset conscius.

Atqui CADOGANUM amissum etiamsi debita commemoratione prosequamur, deplorare tamen vix possumus, quoniam annis et senio confectus e vita potius excedere, quam eripi, videbatur. Nec esset cur sortem humanam fortunamque nostram hodie quereremur, si hic lugubrem vocem deponere, cæterisque omnibus fociis salvis gratulari, daretur. Heu vero non datur ! Nam, nobilem nos victimam poscens, ex omnium oculis et conspectu mors illum quoque removet, qui toties alios a morte vindicavit, pro dolor ! WARRENUM. Qualis in omni studio-

rum vitæque ratione fuerit WARRENUS exponere, non hujus in dicendo mediocritatis est; non nostri ingenii, expressam illius effigiem in conspectu vestro collocare. Qualis fuerit, vos potius vobiscum colligite; vos, qui familiaritate ejus utebamini; vos, qui, communia cum illo consilia de ægrotis capientes, toties summam illius in arte nostra præstantiam vidistisque admiratique estis. Vetat autem hæc Harveiana commemoratio, vetat reverentia, qua erga eos afficimur, qui summi in nostra arte extiterint, vetat studium quo in vitas eorum, etiam ab ineunte sua ætate, inquirimus, qui fama floruerint, quo minus de medico hoc celeberrimo pauca proferam.

Natus igitur WARRENUS in agro Suffolcienfi, honesto loco, patre Clerico, puerilem animum Burie Suffolcienfis literis informavit, juvenilem honestissimis studiis, in Collegio Jesu apud Cantabrigienfes, corroboravit. Quos ibi progressus fecerit, præcipue in mathematicis disciplinis, ex honoribus quos illi, cum gradum Baccalaurei in Artibus fusciperet*, decrevit Academia, indicium licet sumere. Hæ vero disciplinæ, ipso etiam HIPPOCRATE teste, multum ad Medicinam discendam conferunt: nam ad Filium, Medicinæ studiosum, scribens, ut Geometriæ et Arithmeticæ det operam, pluribus adductis rationibus, hortatur. Si sint autem, qui

* Hunc gradum suscepit anno MDCCLII; atque inter Baccalaureos, quibus sua reservata est senioritas comitiis prioribus hujus anni, secundum obtinuit honoris locum.

de mathematicis disciplinis non æquæ nobiscum sentiant, sciant hi, quod cæteras disciplinas, quod Græcas Latinasque literas, WARRENUS diligenter coleret; quod, tenacissima præditus memoria, eorum, quæ semel didicerat, oblivisceretur nihil. Talis cum esset, ad quamcunque se applicuisset artem, summam de illo spem sui jure concepissent. Quod in suum, quod in publicum commodum optime cessit, ad Medicinam se applicuit. Cumque ab hac arte discenda ad exercendam se conferret, Londini sedem figens vix se medicum professus erat, cum illius fama serpere inciperet. Quid? Cum non multos adhuc annos in Medicina exercenda posuisset, dignus habebatur, qui REGIS OPTIMI PATRIÆQUE CARISSIMI salutis prospiceret, Medicus Regius constitutus. Jamque ille artem suam in luce atque sole collocaverat, unde fructus, qui antea se aliquatenus ostenderant, incrementum et maturitatem cito sunt adepti. Nam quo magis WARRENUS civium oculos in se convertit, eo indies magis de ejus in medendo peritia crevit opinio, eo magis a Principibus, ab Optimatibus, ab omnium ordinum ægrotis, quæsitus est. Nimirum, in illo RADCLIVII sagacitatem, doctrina atque humanitate insigni temperatam, conspexerunt. Erat enim in morborum natura distinguenda acutissimus, in curandis morbis solertissimus; sermoni autem ea gratia et facundia inerant, ut, affidente WARRENO, suorum dolorum obliviscerentur ægroti, adeo ejus delectabantur eloquio.

Non quod vir ille eloquens, blandimentis et assentatiunculis tempus terendo, eorum, quibus medicus affuit, favorem captaret; nihil liberali viro indignum, nihil otiosum, nihil, quod non ad ægrotorum res pertinebat, in illius sermone deprehendisses: omniumque, de quibus audivimus, nemo unquam medicus cum ægrotis negotia citius expediebat. Illius denique, ne longum faciam, five ingenium, five doctrinam, five mores, five diligentiam ac industriam, nobiscum reputemus, in harum unaquaque virtutum absolutum illum et perfectum invenimus. Atque hæc cum ita sint, quid mirum quod summis hujusce ævi medicis annumeraretur WARRENUM, quod maxima artis suæ præmia reportaverit, quodque nomen, una cum MEADII, RADCLIVIIQUE, una cum vestrum nonnullorum nominibus, seræ posteritati tradendum reliquerit? Vos testor quam in arte nostra emineret; quam ægroti illum suspicerent et diligerent, quam illum, undique, medicum vellent, ut, dum aliorum salutem invigilabat, non satis consuleret suæ. Vos testor, nam ii estis, quibus, etiamsi ad illius famam prædicandam mecum conspiretis, minime tamen est verendum, quo minus vosmetipsos vestra sit mansura.

Quæret forsitan aliquis, quæ ingenii monumenta vir ille eximius, scriptor, composuerit. Equidem non existimandum est, illi, qui tantum temporis in artis exercitationem impendit, multum lucubrationibus et calamo superesse; neque postulandum, ut qui diem totum in

agendo posuerat, noctem etiam in scribendo consume-
ret. Nonnulla tamen scripsit, quæ vobis in manus tra-
di, et actis Collegii medicis inferi, voluit; atque hæc
ejusmodi sunt, ut populari de illius in medendi arte
præstantia iudicio fidem faciant.

De cæteris WARRENI virtutibus differere, a nostro
forfan proposito alienum videretur; ideoque, quod ad
has attinet, Viduæ, Liberorum, Propinquorum, Amico-
rum luctus, oratoris vestri vice fungatur. Candor vero,
sinceritas, liberalitas, altitudo animi, hæ virtutes et pri-
vatum virum et medicum æque commendant; quas ergo
non possum quin in illo emicuisse commemorem.

Tantus erat WARRENIUS: atque cum tantus esset,
cui non in votis fuit, ut inter mortales quam diutissime
versaretur? Quod quidem illi fati non concessum: nam
climactericum annum vix excedentem ereptum vidimus.
Famæ quidem et fortunæ fati vixerat; publico autem
commodo, cum tam multi ex illo penderent, salutem-
que suam illius salute contineri crederent, parum.

Hæc ab imperito oratore de viro hoc eximio accipite;
ab eo quem fors, non ratio et selectio aliqua, primum
illius virtutum præconem constituit. A futuris Har-
veianis oratoribus, ab iis qui ipsius WARRENI magis
similes erunt, pleno ore hæ virtutes celebrabuntur.
Nam quo magis ipsi excellimus, eo clarius aliorum ex-
cellentiam perspectam habemus; ut, apud HOMERUM*,

* Vide ILIAD. v. lin. 121 et sequent.

tum demum DIOMEDES inter Deos atque Homines quid interesset dignovit, cum mortalem ab oculis caliginem MINERVA abstulisset. Vos interim ea, quæ in manco hoc et imbecilli præconio defint, cogitando supplete. Iidem Orationi meæ subvenite, qui Arti nostræ, WARRENI morte aliquatenus afflictæ ac debilitatæ, subventuri estis.

Et sane id tandem mentibus nostrorum, in lenimen doloris ob tam peritum medicum defunctum, occurrit, quod vos tales fitis, quales esse omnes certo sciunt; quorum nonnullos illius famæ jam nunc æmulos, alios illum æquis passibus secutos, et ad idem famæ fastigium properantes, aspiciunt. Nunquam defuerunt de vestro numero, Præses Sociique peritissimi, qui in Medicina principes et essent, et haberentur: qui hanc artem auctoritate sustentarent, doctrina promoverent, moribus honestarent. Nunquam defuturos esse confido, dum Patriæ leges potestatem suam retinebunt, dum a vi et infidiis tuti erimus. Quid enim? Ex iis vester ordo componitur, aut qui in Academiæ alterutra temporis multum, sumptum haud parvum, in omnem liberaliorem disciplinam insumpserint, aut qui, ex Permissorum numero cum fuerint, liberalibus disciplinis studendo viam sibi ad hunc ordinem fecerint. Nam graviter errant, qui ad Medicinam, tanquam ad quæstum aliquem vulgarem, animum præsentem et quandam quasi

dexteritatem fufficere putant, ac non potius medicum varia quoque literatura instrui debere agnoscunt. Graviter, mehercule, errant, qui in Academias nostras—sed me reprimam, nam nollem ut in querimonias deflecteret Oratio.

Atque ut finem dicendi aliquando faciam, Tibi, Præses Dignissime, Vobisque, Socii Ornatissimi, salutem, felicitatem, bona omnia enixe precor. Precor ut eadem, qua hætenus, via insistatis; ut probis et literatis præsidio, improbis et circulatoribus terrori fitis; ut unde orti estis reminiscamini, et utriusque Academiæ amorem fervetis; ut literas, ut bonas artes, eas præcipue, quæ cum Medicina cognatione quadam propinquiori connectuntur, ut ipsam præ omnibus Medicinam, studiosissime colatis. Quo autem cogitationes laboresque vestri optatam metam contingant, precor insuper ut Patria sit concors et prospera, ut leges vigeant, ut ordo rerum maneat. Precor, denique, nam literarum atque artium studiis armorum strepitus adversatur, ut det nobis D. O. M. cum exteris nationibus Pacem: Pacem, dico, non instabilem, non infidam, non pretio et dedecore emptam, sed firmam, sed sinceram, sed honestam.

